

ΑΝΑΤΙΣΤΕΥ  
ΚΑΤΑΝΤΕΥ



MARIS OCEANI  
PARS

Climatis  
quarti  
finis

PORTUGALLIAE  
QVAE OLIM LVSTITANIA VERNAN  
DO ALVARO SECCO AVTORE  
RECENS DESCRIPTIO.  
Gerard. de Iode. excud.

REGNI CASTELLAE PARS.

Climatis  
quinti  
et  
finis  
Principium sexti

57

58



longè iaciunt, & summa arte, in acie diutius perseverant, mobili corpore leuique, vt faciliè & fugiât hostem & insequantur. Omnes montium habitatores victu simplici vtuntur, aquarû potores, humi cubitores. môtani homines duabus anni partibus querna vescuntur glande, quâ cum siccauerint, frangunt, molût, panes conficiunt, & ad tempus reponût. Hordeaceo vtuntur vino, nam vitis inopia laborât. Omnes ferè pullis amicti vestibus & sagis, in quibus inuoluti, per stramenta cubant. Nummorum loco graui admodû farcinarum permutatione vtuntur, vel extensi argenti laminae frustum abscissum exhibent. Destinatos neci lapidibus obruunt, parricidas extra montium confinia vel vltra flumina reiectos, saxis opprimût. Agrotos vetusto ritu ægyptiorû in plateis deponunt, vt qui eo morbi genere tentati sunt, commonefacere eos valeant. Reliquos huius populi mores ceremonialisque qui voler, ex Strabonis libro 3 petet, vnde hæc nos obiter excerptimus: vt ex his queant colligere quibus eorû huius seculi conditiones, viuendique ritus perspecti sunt, quantum à prisicis colonis recentes modò differant. Regio itaque de qua sermo est, felicitate præstat, omnibus paruis & magnis irrigua, qui omnes Tago ab ortu pariter disuncti sunt, & maiori ex parte nauigabiles, atque auri grumulis abundantes. Vicina verò Tago cæterorum opulentissima sunt oppida. Ager verò plerisque in locis argillosus, ac ob id minus fructibus fœcundus. Coimbræ autem territorium totius Portugalliæ censetur optimum. Cùm autè vitium penuria id regnû laborare dicatur, commendatur tamen apud exteros Algarbiorum vina. Fluuiorum qui hanc oram rigant nominatissimus nobilissimusque est Tagus, ad ostium latitudinem habens stadiorum 20. Strabone teste, altitudinem verò permagnam, adeo vt à nauigijs millia decem vectantibus nauigari faciliè possit. Agrum autem habet circumcirca bonitate conspicuum, aduersis etiam aquis nauigationes habens admodû faciles, etiam grandioribus magnû ad spacium nauibus: reliquum verò ad cursum fluuiaticis vtuntur lembis. Amnis piscium feracissimus est, ostreorumque redundans. Ex Celtiberis autem originè habes per Veciones & Carpetanos (Castiliæ nunc regno cõprehensos) & Lusitanos in æquinoctialem labitur Occasum, aliquantisper spacio pari ab Ana & Bati fluuijs distans, postea semouetur ab illis, ad littus australe declinantibus. Post Tagû nobilissima flumina sunt Mulladas paruis nauigationibus, quem deinceps Mundam, ac hoc seculo Mondegam appellatû videmus. Deinceps Vacua vel Vagus, nunc Vogor. Post hos Durius, longo fluens cursu penes Numantiam (quam Sorio hac ætate nuncupari voluit) & alias complures Celtiberorum & Vacceorû habitatas terras: magnis hic nauigijs permeabilis ad stadia ferè octingenta. Alia porro flumina sunt Cauado, hodie Morilhoque dictus, quem Nibin antiquiorum esse suspicari licet, & cui ab obliuione Lethes

nomen inditum est, ab alijs Limia, Belioro & Eneuuius nuncupatus, ex Celtiberis & Vacceis prope Galleciam labitur. Postremus Minius omnes Lusitanæ flu. magnitudine superans, & hic ipse ad stadia 800. nauigabilis, quæ Posidonius ex Cantabris fluere dicit, ante cuius eruptionem procumbit Insula, & instar vnguium scopuli duo, portus habentes fluuiorum. Montes Lusitania paucos habet, eosque haud magnos, promontorio sacro capiti, S. Vincentij dicto vicini, ac Palmæ fluuiio obiecti sunt, quos *Sera de Monçiquo*, & *Sera de Chaldéu* incolæ vocât. Tagi verò fluuij ostio imminet Luna mōs, nunc *Serdedab* dictus. Coimbræ territorio adiacet, quem *Sera de D. Troba* Lusitani appellât. Montana præterea sunt ac collibus confita loca à Durio ad Cabadum vsque flu. ferè omnia. In Lamegitano agro conspicitur, qui Muro monte nominatur. Durio autem flu. ab Aquilone imminet *Sera de Maray* & Tralos mons. Minio autem flu. subiectus mons *Sera de Coira* nuncupatur. Sunt & hi plerique lucubus nemoribusque confiti, circa Palmam etiam flu. loca syluosa sunt, & quæ Beringæ insulæ Mondegoque flu. interiacer, terra firma, montosa admodum saltuosaque & solitaria existit. Mineræ in hoc regno ab authoribus nullæ traduntur. Salem tamen fossilem illis aut esse, aut extitisse olim argumento est, id quod Strabo li 3 scribit: Salem Lusitanis esse colore prius purpureo, qui simul ac teritur, albescat, cumque fontium perennium in hoc regno numeretur vltra viginti quinque millia. Thermas tamen nullas ab vllis vsquâ authoribus prædicatas reperi. Terminis autem limitatur hisce, vt ab Ortu Castellæ vtriusque, ac Extremaduræ regna, quaque magis in Austrum vergit Andaluziam prouinciam contiguam habeat. Australe latus Atlanticus, Occidentale occiduus alluit Oceanus, Septentrionale Nimius flu. à Gallecia dirimit. Cui verò plagæ cœlesti subiectum sit id regnum, vel ex ipsa pictura colliget lector, à medio nimirum quarti climatis, ad initiû vsque sexti, aut paulò vltra. Incipit ab Occidente à longit. gradu 5. vbi Baiona, desinit vbi maximè in Orientè extenditur sub longitud. grad. 8. minut. 15. vbi Miranda. Versus Austrum initium sumit à latit. grad. 37. vbi sacrum promontorium, vulgò S. Vincentij caput dictum. Finitur verò vbi maximè in Boream excurrit sub latitudine grad. 43. minut. 16. vbi Baiona. vnde Austrinus eius parallelus colligitur, numero duodecimus. Heterosiorû autem sextus, vbi dies prolixior horarum 14. Boreus verò ordine decimus quartus, at Heterosiorum octauus, dielque ibidem prolixior horarum 15. longitudinem itaque latitudine norem habet milliariû Germanicorum 34. Italicorum autem 136. latitudinem Germanicorum 86. Italicor. verò

345.



Nno à condito mundo 4373. à Diluuiò 801. ante salutem autè recuperatam 1516. & à condita Hispania sexcentesimo quinquagesimo octauo Hispaniarum regnû accepit Lulus, vt Berosus author est, is non, vt nonnulli tradidère, Græcus origine fuit, sed Hispanus, Sicelæi decimi noni Hispaniarum regis filius. Ab hoc Luso dictam Lusitaniam omnes concedût: Lusum verò nominatû, quod more Aramæo vbique sacra ludis & saltu agebat. Vti quandoque Dauid Propheta regius ante arcâ egit. Hic mortuo patre Sicelæo in Italia Rex creatus, multas duxisse traditur ex amicis Italiæ colonias in Lusitaniam, faciuntque argumentum complura vetusta locorum, & gentium nomina Italis & Lusitanis communia, apud Geographos veteres seruata, quanquam nunc variata fuerint. vti & hoc ipsum totius prouinciæ nomen, tempus omnia rodés aboleuit ac immutauit. Portugalliæ nunc eius loco vigente vocabulo, quam appellationem à Gallis populis sortitam ait præter authores cæteros Franciscus Tarapha: nam Galli, inquit, in Hispaniam nauigantes Portugallo ciuitati Oceanoque mari, & toti regno nomè dedère, quasi portus Gallorum. Ostio Durij flu. quem nunc *Sera* incolæ nominant, ea ciuitas propinqua est. Iam verò nec omne id quod olim Lusitania erat, Portugalliæ tribuendum, si Straboni ac Melæ credimus, qui Callaicos quoque quæ nunc Gallecia est, Lusitanie annumerandos censent, cõtra Plinij ac Ptolomæi sententiam, qui à Septentrione Durio amne Lusitaniam limitât. Neque etiam omne id quod Portugallia nunc sibi vindicat, olim Lusitania fuit: dicit quippe Strabone Melæque cõmuni consensu id affirmantibus Lusitanie nimirum Australe latus Tago cingi, Occidentale & Septentrionale Oceano. Hodie Portugalliæ regnum ad Atlanticum vsque extenditur Oceanû, qui Meridionale eius latus alluit. Cumque in vniuersa Hispania hac ætate regna numerentur circiter quatuordecim: duo tamen ex his principatum tenent, reliquis sub se comprehêsis, quorum alterum generali Hispaniæ seu Castiliæ vocabulo denotatur suo à nobis loco pertractatû: alterû verò huius tabulæ Topographica descriptione declaratur sub Lusitanie, seu si mauius recenti Portugalliæ vocabulo. Eius verò originè huc ferè in modû tradunt historici. Cœpisse Portugalliæ regnû circiter annum Christi 1100. idque ea occasione Henricus Lotharingiæ Comes à Gallia veniès magnas aduersus Saracenos res gessit, pro quibus meritis Alphonsus sextus Castellæ rex, filiam notham Tiresiam nomine ei locauit, Galleciæ partè que in Lusitanie regno continetur, pro dote assignans. Ex eo postea matrimonio natus Alphonsus, qui primus lusitanie rex est appellatus, primus itè qui Vlysiopnam à Saracenis recepit, quorû quinque simul regibus vno prælio superatis, quinque scutorum insigne facinoris monumentum posteris reliquit. Populi antiquitus eam coluère Oretani, ad Anam flu. cõsidentes. Oriétaliora verò loca Carpetanorû, Vacceorû, Vecionumque pars tenuère, Oram verò quæ Durij fluuij

ripis cõtigua est, Lubenis Narbasijque; habitata fuit. Chalybis autè flu. tractû Celtici Gallorû populi occupauère, vti & pleraque alia Hispaniæ loca. Tandem etiam Gothi ac Saraceni eò irrespère. In duo dispesci regna iam pridè cœpit, quæ enim Athlantico percutitur Oceano plaga in Austrû versa, Algarbiorum regnû vocatur. Inter vtramque Guadianam anteriore scilicet aliàs Palma flu. nuncupatâ, ac posteriorem propriè Anam, Mauris verò Guadianam fluuios sitam, quæ verò inde Septentrionè versus Tago, Mundo, Durioque rigatur amnibus regio, ad Minium vsque porrecta, Portugalliæ nomen tuetur. Vltierus verò in plures secatur Dynattias, Ducatû ac Comitatuû dignitatibus ac titulis ornatas, eius regni proceribus parentes. Inter quos primum vindicat locû Conestabilis regnorû confiniû Præfectus, vulgò *Fonteiro*. Idem etiam Magister equitû Rhodiensium, ac dux Brigantiæ. Cæteri sunt Colimbricenis, Viseensis, Transcolensis, Barcelensis, Auerisilque duces: præter hos etiam sunt de Villa Real, de Tores Nunas, de Mont maior, de Ferreira Marchiones, Comitum verò ingens numerus. Ab alijs autè secatur in Transaganam, quæ Bætica partem habet, ab Ano flu. ad regni vsque limites porrectâ. Cistaganâ huic vltra Anam oppositam, & inter amnem Durio Minioque flu. interiectam. Terræ tamè haud multû id regnum complectitur, cum reliqua Hispania haudquaquam cõparandum, Galliæque multo angustius. Regni metropolis est Vlysiopna, Vlysis indicans errores, & exercitum huc delatû. Insignis amplaque ciuitas, loco amœnissimo sita, diuitijque supra modû affluens, mercium quippe, quarû per vniuersum id regnû negotiatio est luculentissima existens emporium, vnde quaque aduentantium nauium commodissimû ac fama celebre receptaculum. Regis insuper aula sedeque fortunatû cæterarum prouinciarum caput, Romanis aliquando Iuliam fœlicè appellatâ volunt nonnulli. Vna est ex tribus eius regni Archiëpiscopalibus, earû verò Braga primatum sibi vindicat, cuius Præsul Metropolitanus vniuersæ Hispaniæ salutari contra Toletensem contedit iure. Tertia verò eadem dignitate gaudens est Funchala. Episcopales autè vrbes sunt Coimbræ, olim Conimbræ vniuersali studio clara, Mondæ aliàs Mondego flu. ponte iuncta. Enora antiquitate nobilis, Palmæ flu. fonti propinqua. Lamega ad Barozæ flu. ostiû quo Durio illabitur, sita. Et quæ regno nomen dedit Porto, aliquâdo Lauaria, & à prisicis Portugallo nuncupata, Sertorio Romanorû duce vastata olim, ac penitus excisa, Durij flu. ostio proxima, aluo nauigationibus ob rupium ac arenarum colles minus commodo, à Gothis ac Mauris quoque nõ parùm afflictâ, recuperata autè Castellæ regibus Comitatus dignitate donata, tandem in Ducatum excreuit, cui ducatus de Gallo nomen inditum est. Simili etiâ honore gaudent Viseum, Guarda, Colimbræ, Syluis, & Cepta vrbes. Vetustos populi ritus eiusmodi tradunt scriptores Cosmographi. Sunt Lusitani Hispanorû fortissimi scrutatores, insidiosos, veloces, agiles atque versatiles. Iaculum

3198

